Præceptum Gisulphi Ducis Beneventi

In nomine Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Concessimus Nos Dnus vir gloriosus Gisulphus summus Dux Gentis Longobardorum in Monasterio S. Vincentii Levitæ, et Martyris Christi, quod ven: Famuli Christi nobis carnis consanguinitate propinqui Paldo, Tato, et Taso, pro Dei amore Patriam, Parentes, et mundi gloriam relinquentes, super ædificare cœperunt in territorio sanctæ nostræ civitatis Beneventanæ super Vulturni fluminis montem, terras, et possessiones per designatos fines, primum de ipsa Zianula, quomodò ascendit per ipsum Sangrum usque in montem malum, et quomodo coniungit cum Monte Aze, usque in fluvium Melfa, et quemadmodum decurrit ipsa Melfa, usq: ubi coniungit cum parvo fluvio, qui dicitur Mellarinus, et ab hinc in vertice montis qui est super urbem, et mons ipse appellatur Barbola, et supercilium eiusdem montis usque in montem Zichanum, et montem Marthe, montem Casaleto, usque videlicet montes extrinsecus circumdantes in ortum usq: rivus qui nominatur Ravennola: et quemadmodum decurrit ipsa Ravennola usque in fluvio Vulturno: et quomodo Vulturnus coniungitur cum fluvio Bantra, et sicut Bantra coniungitur cum fluvio Forulo, et Forulus quomodo percurrit usque in viam antiquam, et indè coniungit cum rivo, qui nominatur Giroli, et indè vadit in rivo in quo non semper aqua decurrit, et sic vadit usque in Sangrum.

Mons Aze
Melfa flu:
Mellarinus flu:
Barbola Mons
Martha Mons
Casaleto Mons
Ravennola Rivus
Bantra flu:
Forulus flu:
Giroli Rivus
Ravinola
Forulus

Preterea in actu Balvense in locum qui nominatur quinque millia Ecclesia S. Mariæ per fines hic subscriptos, qualiter vadit fluvius Sangro versum, qua parte Rasinus fluit, et exindè decurrit rivus qui exit de quinque millia usque in petram ubi fuit antiquitus Castellum, et quomodo tota ipsa vallis vadit in rivo de Camarda, et ipse rivus decurrit in fluvio Sangro, et infra hos fines quæquè continentur cum omnibus Ecclesiis, cellis, casalibus, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, aquis, rivis, molendinis, et omnibus rebus iisdem pertinentibus, Ecclesiam quoquè S. Dei Genitricis, et Virginis Mariæ juxta fluvium Trivium quæ incendio combusta, et à cunctis habitatoribus derelicta esse videtur: et Ecclesiam S. Mariæ quæ vocatur in duas Basilicas, quæ est juxta Sangri fluvii alveo sitam, ubi ab antiquo tempore nulla habitatio hominum fuisse memoratur: sed tantum Silva publica Monasterium nobilissimum B. Petri Apostoli juxtà nostram Beneventi civitatem, quod est Sanctimonialium quod Dnà Theodorada Avia nostra constituit juxtà fluvium Sabbati, Monasterium quoquè S. Mariæ in Loco sano.

quinque millia
Sangrus flu:
Rasinus flu:
Camarda Rivus
Trivius flu:
Sabbatus flu:

Has